

204.

Gente fatus nostra, seu cum canit agmina versu:
 Seu lepido dulces promit modulamine ludos.
 Heu venerande caput, si me non omina fallunt,
 Viues, perpetuum viues, date myrtea Vati
 Serta Deæ, Phœboq; sacer sit nomine vestro.
 Salue Schesæi, nullum moritura per æuum,
 Musa, iterum salue, nec cæptos desere cursus.

VVitebergæ mense
 Aprili. Anno
 M. D. LXXI.

F I N I S.



205.

C A R M E N
ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ
GENERO SO AC NOBILI VIRO

D. CASPARO HORVAT A CZIPCZ PAN-
 nonio Viteberga in Italiam profecturo,
 Mense Aprili die S. Georgij Anno.

1564. Domino sibi charo
 atq; colendo.

Scriptur.

A

BENEDICTO BATHYZI
 PANNONIO.

PROVERB. 5.

Habitator cæli Deus, fælix reddat iter vestrum
 Et Angelus eius adiungat se vobis comitem.

V I T E B E R G Æ.

Excudebat Petrus Seitz.

1564.

Jmt. 14.169

GARMEN PRO:
PEMPTICON.

Littore ab Albiaco quoniam discedere cogit
Te Caspar generose, mihi charum atq; colendum,
Dulcis amor studij, quo flagrans omnia perfers,
Nec temagna viæ remorantur tædia longæ,
Sed cupis Italianam musarum visere fontem:
Accipe nunc igitur pignus tibi carmen amoris.
Quæ peregrinanti prosint volo dicere paucis
Sitq; viatori pars hæc quam commoda veris.

Summe parens rerum cœli terreq; creator,
Tu mihi Principium, tu finis carminis esto,
Tu Deus omnipotens, summi regnator olympi
Aspice nos oculis & pectora nostra benignis,
Te solum auxilium nobis ex poscimus omnes.
Christe faue cæptis oro sanctissime nostris,
Tu mihi certa salus, placido ergo respice vultu,
Tu rege conatus nostros, nostrosq; labores.
Spiritus alme faue miserorum summa voluptas,
Respice tu mentem, mentiq; illibere nostræ,
Tu souetas animum radianti lumine nostrum,
Ut sint grata tibi quæ sum dicturus amico.

Grammina iam redeunt campis florentia pulch-
Sylua viatori ramis florentibus apta est, (ris,
Flores præbet ager, quibus arridere videtur

Cunctis, dona Dei, qui talia sœpè tueruntur,
Et simul in pectus suaves infundit odores.
Delectant oculos herbæ recreant animumq;
Sœpè leuant morbos capitis, pelluntq; venenum:
Nam latet in minimis aliquando vel optima virtus
Herbis, quas voluit fieri medicamina cunctis
Conditor omnipotens, hominum seruator & author,
Quas utinam possent homines cognoscere certò,
Addere corporibus vires, & languida membra
Curarent, miseri possent & viuere multum
At nunc herbarum est ignota potentia multis
Corpora nec sanant hominum, virtus quoq; rara est
Illarum, medicis quæ nunc certò sit medicamen,
Per multos hominum vix est deprensa dolores,
Corpora sœpè dedere neci mortalia diræ,
Viuere quæ possent, si tunc curata fuissent,
NAM medico ignaro, misero nil tristius ægro,
Qui bené morborum causas discernere nescit,
CARIVS at docto poterit nil terra creare:
At mihi propositum non est memorare medelas
Dicere sed paucis, sequitur quæ sponte voluptas,
Qui cupiunt campos & sylvas visere vere,
Omnia quando virent, & ceu ridere videntur.

Est odor in sylvis, odor est quoq; gratus in agris,
Frondibus illa viatori aspirat redolentq;
Floribus iste refertus adest, cupidus hominumq;
His oculos mulcet, curas animoq; repellit,

Sylua refert auium cantus sunt qui auribus aptj,
Vmbram sylua dabit frondentibus optima ramis,
Vmbra quies grata est, æstiuo tempore lassis,
Vmbra viatorem magno defendit ab æstu,
Vmbra potest ipsi dulcemq; in fundere somnum
Vmbra potest dictis multò dare commoda plura,
Quæ nec me fugiunt, nam sunt notissima, sed iam
Nec volo nec possum nunc commoda dicere cuncta,
Nec locus iste vacat, nec tempus sufficit, illa
Carmine dicendi, non hanc mea Musa recenset
Quanta, viatorem circundat, tempore verno
Vndiq; commoditas, sequitur pene ipsa voluptas
Quæ me vix etiam paucis tetigisse satis fit.

Carpe viam gaudens igitur, qui visere terras,
Urbes & populos, mores ac noscere leges.
Affectas cupidus, studiosè & discere multa:
Commoditas nunc omnis adest modò perfice cursum,
Ut saluus cæptum peragens iter atq; reuersus
Gaudia percipias Patriæ post magna, quiescens.

Omnibus hæc volui, cupientibus ire peregrinari
Dicere nunc breuiter, quibus addat reliqua quisq;
Commoda, quanta putat, rursum quantosq; dolores,
Difficile est tantos paucis numerare labores,
Vsus inumeros rursus recitare laborum.
Sydera qui cœli numeraret signaq; cuncta,
Grammina qui posset pulchra & florentia campi,
Syluarum aut frondes aut candida lilia agrorum:

Is numerare viæ posset iam commoda longæ,
His simul adiunctos multos magnosq; labores.

210. *Ad te conuertor generose ô Caspare rursus,*
Qui mihi sempèr eras dilectus tempore ab illo,
Quo studio magno flagrantes dulcis amore
Spumiferi optatam peruenimus Albis ad urbem,
Gratasq; Albiacas Musas, monumentaq; pulchra
Pignora doctorum, quæ nunc superesse videmus.
Talia nunc reputo, multoq; hic plura reuolu
Mente mea tacitè, quæ tu conferre solebas
Multa in me factis, placidis verbis quoq; multa.
Quēis vtinam possem dignas tibi reddere grates,
Reddere non possum, fateor, sed sempèr habendas
Esse animo duco, tantisper Spiritus iste
Dum fouet hos artus, & frigida membra relinquet
Et laudes celebrare tuas multisq; referre,
Absens absentis, cupio comitante salute.
Quos, vtinam possem digno nunc reddere versu
Conatus animi, & celebri, tua facta, camæna,
Charam iam canerem patriam dulcesq; parentes,
Et genus illorum cum factis iungere vellem,
Hæc ubi dixissem, posuissem & nobile nomen
Præclare factis celebratum, tempore duro
Principibus notum, populo rebusq; secundis,
Magnanimumq; patrem fecit mens conscientia recti,
Mens pura, intemerata fides, sine crimine vita,
Principe digna fuit cuius sententia magno,

Nempe

211. *NEMPE mori præstat, quām Turcis uiuere seruū*
Clarus erat bello factis, dictis quoq; clarus.
Hanc tibi mensuram gratum est superare paternam
Cum faueas Musis superasti aliquando parentem,
Factis non æquas, cernas si bellica facta,
Cum tantum in studijs sempèr verseris honestis
Quorum sensisti iam ingentia commoda sæpè,
Magnus eras illis, & honore insignis ibidem
Exaltatus eras, altaq; in sede locatus,
Omnibus his, sed tu (quod rarum est) sponte relictis
Duxisti rebus studia anteferenda caducis,
Factus es exemplar dominis, multisq; patronis,
Atq; viam studijs monstrasti Caspare doce,
Egregios iuvenes hortentur hæc tua facta,
Tædia multa viæ spernens, bis viscera Musas
Littoris Albiaci voluisti harumq; magistros,
Artibus ingenuis posses te ornare & honestis,
His animo imbuto, & iacto fundamine firmo
Firmo & saluifico, docuit quod regula Christi :
QVÆRITE mortales imprimis quærite regnum
Christi & iustitiam veram, tunc cætera sponte
Multa simùl fient dulcissima, plura sequentur,
Iam cupis Italianam studiorum visere fontem
Italianam patriam Musis linguisq; dicatam
Italianam rerum dominam, ubi dicitur esse
Roma caput mundi, generosum nomine Roma
Italianam celebrat Musarum maxima turba,

Italiæ

Italiæ notum est, toti orbi nobile nomen,
 Italiam cupiunt iuuenesq; senesq; videre
 Vrbibus Italicæ terræ ante ferenda nec vlla est,
Quas vt pertingas felix comitante salute
Tu generose mihi memorandèq; Caspare sempèr,
 Æterni auxilium diuinum numinis oro.

Spiritus alme preces cum Christo suscipe nostras
 Tu pater omnipotens, pulchriq; habitator olympi
 Audi, stellifero è cælo qui fulmina torques,
 Dirige tu gressus, monstra vestigia eunti,
 Da Deus auxilium finemq; impone laborj,
 Tu dux Christe, viæ gressus tu dirige cæptæ,
 Da redditum rursum ad patriam charamq; parentem
 Principibus charum rursus facias, tibi grates
 Æternum venerans, vt possit reddere dignas.

Talia sœpè precor, dum optatam tangere metm.
 Tu potes, auxilio diuino, Caspare chare
 Fidens omnipotentis, qui te fallere nescit.
 Ergo carpe viam gaudens, alijsq; vale dic
 Omnibus hic dominis, socijs, charis quoq; amicis,
 Tempore qui cuperent tecum vnâ viuere longo,
 Nos etiam vobis hic commendamus amorem,
 Quem volui ex animo, tenui celebrare camæna,
 Quæ quamuis ornata nec est, tamen esse putato,
 Sisq; memor semper nostri, nostri quoq; amoris
 Caspare docte, vale. nec non benè Paule valeto.

F I N I S.

IMMOLATIO ISAAC.

AVTORE

ANTONIO PROBO.



VVITE BERGÆ

Excudebat Iohannes Schwertelius.

Anno M. D. LXVI.

T.G.-1631^a

